A Raguel cognoſcens Tobiam iuniorem, cum lachrymis oſculatus eſt eum,& plorauit ſuper collum eius. *Tobiæ* 7.

Veniens Gabelus ad domum Raguelis, videns Tobiam iuniorem diſcumbentum,fleuit & benedixit eum. *Tobiæ* 9.

Moram faciente Tobia,fleuit mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu mihi, vt quid miſimus peregrinari lumen oculorum noſtrorum? &c. *Tob.*10.

Exurgens cæcus Tobias, occurrit filio ſuo redeunti, & ſuſpiciens, oſculatus eſt eum cum vxore ſua, & cœperunt fl ere præ gaudio. *Tob.*11.

Cùm expoſuiſſet Achior omnia, quæ dixerat Holofernes, omnis populus communi lamentatione & fletu, vnanimes preces Domino effuderunt. *Iudith* 6.

Factus eſt fletus & vlulatus magnus in Eccleſia,per multas horas, vna nocte clamauerunt ad Dominum, dicentes: Peccauimus cum patribus noſtris. *Iudith* 7.

Stetit Iudith ante lectum Holofernis orans cum lachrymis, vt Deus id quod cogitabat, perficere dignaretur. *Iudith* 13.

B Cùm audiſſet Mardochæus iniquam ſententiam contra Iudæos prolatam,ſcidit veſtimenta ſua,& indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti ſuo, & cum eiulatu clamans animi ſui amaritudinem oſtendebat. In omnibus quoque prouinciis ad quas crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium,vlulatus & fletus. *Eſth.*4.

Poſtquam Aman vidit Mardochæum tam magnificè honoratum, feſtinauit ad domum ſuam lugens operto capite. *Eſth.*6.

Sanctus Iob fleuit pro miſeriis propriis. Verſa eſt in luctū cithara mea,& organum meum in vocem flentium. Cuius fletus vehementia apparet per hoc quòd dixerat: Facies mea tumuit à fletu,& palpebræ meæ caligauerunt. *Iob* 30.

Fleuit idem pro miſeriis alienis. Flebam ſuper quodam qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Et poſt: Mœrens incedebam,&c. *Iob* 30.

Rex & Propheta Dauid habebat de lachrymis ſuis lauacrum. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum,lachrymis meis ſtratum meum rigabo. *Pſalm.*6.

Fuerunt & alimentum & potus. Fuerunt mihi lachrymæ C panes die ac nocte. Potum nobis dabis in lachrymis in menſura. Et alibi: Poculum meum cum fletu miſcebam. Vnde verſus vulgatus habet. Huic lachrymæ,lauacrum,panis,potuſque fuerunt. *Pſalm.*14. *&* 79. *Pſalm.*101.

Plorauit etiam Dauid vitam ſuam recolendo. Deus vitam meam annuntiaui tibi,poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo. *Pſalm.*55.

Item orando Dominum. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, & ad lachrymas meas ne ſileas. Et alibi: Ploremus coram Domino, qui fecit nos. *Pſal.*94.

Item cœleſtis patriæ recordando. Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus. 126.

Videns Iſaias deſtructionem populi ſui dicebat; Recedite à me,amarè flebo. Nolite incumbere,vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei. *Eſa.*22.

Dixit Hieremias, Audite & auribus percipite. Nolite eleuari,quia Dominus locutus eſt. Sequitur, Quod ſi hoc non audieritis, in abſcondito plorabit anima mea à facie ſuper-D biæ. Plorans plorabit,&c. *Hierem.*13.

Copioſi fletus in Hieremia ipſo ſigna erant multæ lachrymæ. Quis dabit capiti meo aquam,& oculis meis fontem lachrymarum? *Hierem.*9.

Item & multi gemitus. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam. Sequitur, Multi enim gemitus mei & cor meum mœrens. *Thren.*1.

Et clamoſi ſingultus. Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus. Sequitur, Ne auertas faciem meam à ſingultu meo & clamoribus. *Thren.*3.

Et oculorum defectus. Defecerunt præ lachrymis oculi mei, & conturbata ſunt viſcera mea. *Thren.*2.

Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus,panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum. *Daniel.*10.

Flebant amici Suſannæ,cùm viderent preſbyteros aduerſus eam teſtimonium prolaturos, & ipſa etiam flens inſpexit in cælum: erat enim cor eius habens fiduciam. *Dan.*13.

Antiochus fecit in Ieruſalem cædem magnam hominum, & factus eſt planctus magnus in Iſraël, & omnis ma- E ritus ſumpſit lamentum,& quæ ſedebant in thoro maritali lugebant. 1. *Mach.*1.

Planxit Iſraël planctu magno, pro morte Matathiæ. 1. *Matath.*1.

Fleuerunt omnes de Iſraël Iudam Machabæum planctu magno dies multos, dicentes: Quomodo cecidit potens, qui ſaluum faciebat Iſraël? 1. *Mach.*9.

Interfecto Ionatha & duobus filiis eius cum mille viris, quos retinuerat ſibi à Tryphone, luxit Iſraël luctu magno. 1. *Mach.*12. *&* 13.

Contriſtatus eſt Antiochus, propter iniquam mortem Oniæ, & flexus ad miſericordiam lachrymas fudit,& recordatus eſt,defuncti ſobrietatem & modeſtiam. 2. *Mach.*4.

Occiſis bimatis pueris per Herodem, impletum eſt quod dictum eſt,per Hieremiam Prophetam, Vox in Rama audita eſt ploratus & vlulatus, &c. *Matth.*2.

Pater pueri Lunatici, exclamans cum lachrymis,aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. *Mar.*9.

Maria Magdalena legitur ter fleuiſſe. Primò pro peccatis F ſuis ad pedes Domini. Secundò, pro morte fratris. Tertiò, pro paſſione Domini. *Lucæ* 7. *Ioan.*11. *&* 20.

Saluator noſter inuenitur tribus vicibus lachrymas fudiſſe: ſuper Lazarum quem ad mortalem vitam reuocabat. *Ioan.*11. Super Ieruſalem ciuitatem, quam propter peccata deſtruendam ſciebat. *Luc.* 19. Et in cruce, quando ſeipſum pro mundi peccatis hoſtiam offerebat,vt ait Paulus: Preces cum lachrymis & clamore validè offerens. *Hebr.*5.

Poſt negationem tertiam,Petrus egreſſus foras,fleuit amarè. Sed nota quod Lucas præmiſit,dicens: Reſpexit Dominus Petrum. *Luc.*22.

Euntem Dominus ad Crucem ſequebatur multa turba populi, & Mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. *Luc.*13.

Cum adueniſſet Petrus in Ioppen, circunſteterunt eum omnes Viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes quas faciebat illis Dorcas. *Act.*9.

Paulus Apoſtolus cum lachrymis Domino ſeruiebat, ait enim cum vale diceret fratribus: Vos ſcitis qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum hu- G militate & multis lachrymis.

Item cùm lachrymis proximos monebat,& ipſos ad lachrymas prouocabat per triennium,ait: Nocte & die non ceſſaui cum multis lachrymis, monens vnumquemque veſtrûm. Sequitur, Magnus fletus factus eſt. *Act.*20.

Item cum lachrymis ſcribebat epiſtolas ſuas. Ait enim, Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas. Multi ambulant,quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico. 2. *Cor.*2. *Philip.*3.

Et ad Romanos ait: Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; tales autem gemitus non ſolent eſſe ſine fletu. *Rom.*8.

Quod autem dicit Spiritum pro nobis poſtulare, indicat eleganti Hebraïſmo, quo *Cal* ponitur pro *Hiphil*, ipſum nos facere poſtulare, & gemere,vt exponit *Auguſtinus, &* *Gregor. lib.*2. *Moral. cap.*22.

Exempla Historica.

☞ *Eorum qui lachrymas fuderunt ex ira, commiſeratione, odio,* H *gaudio, dolore, aliiſque ex cauſis, petantur ex loco de Fletu.*

☞ *Lachrymæ fuſæ ob peccatum perpetratum. Ibidem. Quibus addimus ea quæ ſequuntur.*

LACHRYMARI PROPTER ADMISSA PECCATA.

Vbi lachrymarum effectus efficaces, & varij.

Beatos pronuntiauit Æternum Dei Verbum,illos qui lugent, non mundi aduerſa,non perſecutiones,aut corporum ægritudinem,ſuorumque mortem,ſed ſua,& proximi peccata. Nihil enim ita diluit maculam criminis,quemadmodum lachryma pœnitentis. *Matth.cap.*5.

Lachrymæ pœnitentium vinum ſunt Angelorum,quia in illis odor vitæ,ſapor gratiæ, guſtus indulgentiæ,ſanitas redeuntis innocentiæ,reconciliationis iucunditas & ſerenatæ conſcientiæ ſuauitas. *Bern. ſup. Cant.*

Illas enim lachrymas verè in vinum mutari bonum dixerim

quæ